

in illis falsa moneta fabricaretur, scienter praebuerunt. Non tamen omnia damnatorum bona fisco vel aerario olim applicabantur, sed erant excepta pannicularia, i. e. Vestis, qua quis indutus, et reliqua, quae in custodiam receptus secum attulit, modo non adeo magni pretii sint, et summam quinque aureorum non excedant, haec enim fisco inferenda non sunt, sed ad ea seruari, quae iure Praesidum solent erogari, vt dicitur in lege nostra. Quorum autem damnatorum bona hic indigentur, quaeri possit. Et dubium non est, intelligenda hic esse bona capitis damnatorum. Quos autem Romanos proprie dixerint capitis damnatos non aeque est expeditum. Olim quidem ii solum capitis damnati appellari videntur, qui morti naturali erant additi, supplicio ultimo afficiendi. Sed ex quo Icti Romani docuerunt esse adhuc caput Personarum ciuile, idque triplex libertatis ciuitatis atque familiae *L. ii. D. de Capite Minut.* poenarum capitalium nomine eae quoque comprehendi coeperunt, quae damnatum capite etiam ciuili minuunt, et vel libertatem adimunt, seruitutem enim vel maxime morti et mortalitati veteres comparabant. *L. 32. et 209. D. de R. I. L. 59. §. 2. D. de Condit. et Demonstr.* vel ciuitatem *§. 2. I. de Public. Iudic. L. 2. D. eod.* non vero, quae adimunt tantum ius familiae, quippe quales non dantur, solo enim familiae capite nemo vnquam inuitus, poenae loco, vel sententia iudicis, diminuitur. *L. ii. D. de his, qui sui vel al. sunt iur. L. 2. D. de Adopt. L. 13. D. de Bon. Poss. CAL. L. II. Inst. PAUL. Recept. sentent. T. 25. CIC. pro Domo C. 29.* In nostro vero textu per damnatos ii soli, procul dubio, intelliguntur, qui, per condemnationem, facultates suas amittunt, de quibus mox ante, de horum enim bonis quaeri potest, quae ex iis fisco aut aerario applicanda, et quae, tanquam pannicularia, ad ea seruanda, quae iure Praesidum solent erogari.

VIII.

*Nec si zonam circa se habuerit protinus aliquis sibi
vindicare debet.*

Zona alias saepe denotat cingulum virginum, quod nubentibus soluebatur. CATVLLVS *Carm. 2. vers. 11.*

*Tam gratum mihi, quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum
Quod zonam soluit diu ligatam.*

eoque